



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Hermanni Conringii De Pace Civili Inter Imperii Ordines
Religione Dissidentes Perpetuo Conservanda Libri Duo**

Conring, Hermann

Francofurti ; Lipsiae ; Wittebergae, 1680

Text

urn:nbn:de:hbz:466:1-9585



Uicunqve Germaniam nostram spectare hodie sine gemitu & lacrumis potest, ILLUSTRIS PRINCEPS, nã ille aut stupidus est, aut vero tam malus ut præ animi perversitate non tangatur publica calamitate. Ac stupido quidem atqve inepto homini nemo facile succensabit: qui autem eo usqve processerit malitiæ ut tantis malis delectetur potius quàm ingemiscat, illum sane ex Germanorum numero eiiciendum, imo ex humanæ naturæ finibus exterminandum, nescio an non quilibet mecum bonus cordatusqve iudicaverit. Eo nimirum devenimus miseriæ, ut vix illi quidquam possit addi præter moram longiorem; sacris profanisqve omnibus pollutis jam imo conculcatis. Neqve vero unquam tam infelice fuimus loco, ex quo in unam civitatem Germanici populi coiere. Toti autem octingenti sunt anni, quum Caroli Francorum regis rara felicitate, omnis Germania unum sceptrum capere colere. Etsi enim tam immenso temporis tractu numquam fere sua Germaniæ mala defuerint; numquam tamen illa aut tanto cum damno aut tanto cum periculo fuere conjuncta. EQUÈ enim à vicinis quidem habuit olim quod metueret Germania: quoniam in parva atqve invalida magnam partem regna tum illi dividerentur,

tur, ipsa contra viribus ac magnitudine omnibus longe præstaret. Nam Gallia quidem regnum quod trans Mosam & Scaldim nobis est, suos limites ab Henrico quem Aucupem nuncupant, & post ejus filio Othone I accepit : quo Sequani, Sclabi, Leuci, Mediomatrices, inque his Lotharingia, Luxemburgensis, Namurcensis, aliaque ditiones complures, Germanici juris sunt facti, & uno ut verbo dicam, omne illud regnum quod Lotharii dicebatur æternis legibus Germaniæ nostræ Cisirhenaræ conjunctum est. Accessit post Conrado Imperatore Burgundiæ sive Arelatense regnum : quo simul Sebusiani, Viberi, Veragri, magna Helvetiorum pars, Allobroges item, & Galli Provinciales, atque adeo quicquid à Jura monte inter Rhenum & Rhodanum ad mare usque decurrit, intra limites Germanici Imperij sunt recepti. Illa ergo tempestate profecto non multum valuit Gallia, nec potuisset illa transgredi hos limites, si, ut principio ita post Cæsarum Regumque nostrorum dignitas mansisset salva. Eodem tempore nec Polonia adeo late patebat : à septentrione sc. Æstorum gentibus Prussis ac Livonibus, à meridie Bohemia Moravia atque Ungaricis montibus, ab ortu Russis ac Lithuanis, ab occidente denique Marchia Brandenburgensi inclusa : Conrado insuper Sali-
quo

quo Cæsare & fidem jurare & annum tributum iussa pendere quingentarum marcarum auri. Ungaria etiam nunquam sese movere ausa, ex quo intra fines suos, à Carolo Magno olim Hunnis positos, ab Henrico Aucupe & Magno Othone est compulsa: quin haud semel deliberatum in Ordinum conventu, de illa in provinciam redigenda, annitente potissimum fortissimo Cæsarem Frederico Ahenobarbo. Eadem ferme conditio Daniæ fuit & Sveciæ. De Italia verò dicere ineptum fuerit, ut quam parvisse nobis ea ætate certum sit; nunc vero etiam Imperii Germanici leges aliquatenus audiat. In univèrsam ergo æstimanti, unam Germaniam ad Henricum IV tum usque, non singulis tantum vicinis regnis ac populis, sed & univèrsis potuisse opponi, non est quare debeat videri dubium aut vero absimile.

POSTILLA (fateor) magis magisque & lapsa Imperii dignitas pariter, & crevit in vicinis nonnullis haud parum potentia. Æternum sc. est illud Livii: *Nulla magna civitas diu quiescere potest: si foris hostem non habeat domi invenit.* Erant Germaniæ populi animo feroces, manu prompti, bello læti, assueti latrociniis: neque nova tentaturis hætenus quidquam ferè præter occasionem aut vires defuerant: sed Henrico IV rege neque illa neque hæc amplius desiderabantur. Nam qui antecesserant reges publicorum regni bono-

Ccc

rum

rum imprudente profusione, cum rerum gerendarum nervo vim sibi auctoritatemq; multum jam præsciderant. Eo quippe vitio ab antiquissimis usque temporibus Germanicæ semper laboravere respubl. ut nulla fisci atque ærarii facta distincti-
one, omnium æque prodigendi potestas regibus permetteretur, hi vero nullum ejus modum ponerent: quo regna interire necessum est. Accesserat jam tum aliud regnis æque exitiosum vitium, nimia quorundam procerum, Sacrorum præcipue, potentia, eaque novo vitio pene hereditaria facta. Namque initiò quidem innumeros in Comitatus quos vocant divisâ Germania fuerat: jam tunc temporis vero, multis Comitatus minùs circum-
specta regum liberalitate in unum corpus concretis, quidam formidabiles suis opibus erant. Et sane tales cum alii tum imprimis quidam erant Episcoporum; quod majus erat vitium: quippe cum hi præter opes religione etiam armarentur. Aureum sc. est illud Aristotelis scitum: κοινή δὲ φυλακὴ πάσης μοναρχίας, τὸ μὴ γένηται ἕνα μέγαν, ἀλλ' εἰσὶν πλείους, τῆρσι δὲ αἰσὶν ἄλληλους. εἰάν δὲ ἀρεὰ ἕνα δέηται ποιῆσαι μέγαν, μὴ ἐν τῷ γένει θεοφροσύνη, ὅτι θεοφροσύνη τὸ τοιοῦτον ἢ τῷ ἀπὸ πάσης τῆς περὶ αὐτοῦ.

communis omnis monarchia custodia est, neminem unum magnum facere, sed plures si ita videatur, mutuò enim sese observabunt. Quod si aliquis magnus faciendus fuerit, non is tamen qui est ingenio audaci. Tale enim ingenium in negotiis omnibus est

tur-

turbulentissimum. Tantis verò vitiis laborante regno, quis miretur, rege per ætatem adhuc despecto, immutatam tunc reipubl. pristinam faciem, ac soluta regiæ auctoritatis vincula esse? Certè occasionem motibus ejus temporis ab immaturis regis annis datam, jam tum Adamo est Bremensi observatum. *Gubernaculo*, inquit ille, *regni mulier cum puero magno Imperii præfuit detrimento. Indignant enim Principes aut muliebri potestate constringi, aut infantuli ditione regi, primo quidem conjuncti vindicarunt se in pristinam libertatem, ut non servirent: deinde contentionem moverunt inter se quis eorum videretur esse major: postremò armis audacter sumptis regem & dominum suum deponere moliti sunt.* Atq; ille quidem factus adultior, qua erat animi magnitudine, recuperare pereuntem dignitatem haud segniter profectò laboravit: sed neque fatis omnia prudenter fortassis egit, & intervenire nonnulla fatali quadam adversitate, quæ ipsum penitus tandem regno atqve omni plane auctoritate exuerunt. Nec vero prudens quis fortè laudaverit, quod ab Episcopis in ordinem redigendis reparandæ dignitatis initia voluerit facere. Quin nec id fortè fatis cautè inceptum, quod quum Saxonorum Principum potentiam præcipue suspectaret, eamqve vellet imminutam; militari licentia irritari ante eos passus, mox uno illos impe-

tu ad obsequium cogere conatus sit: quum tamen nec rebus satis firmis esset, & præterea jam tum cum alios Principes tum imprimis Episcopos multis injuriis offendisset, adeoque in impietatis atque injustitiæ opinionem se coniecisset: quævis regiam vim conservaturo nihil est perniciosius. Neque verò ita tractandi sunt si qui sint feroces, altiùsqve excreverint quàm regiæ fortassis intersit dignitatis. Sapientissime sc. Aristoteles jubet: *καὶ τῆς δυνάμεως τινα δοκῆ τὸ ἀλάθειν, ἐκ παραγωγῆς τῆτο δρᾶν, καὶ μὴ πᾶσαν ἀθρόον ἀφαρῆσαι τὴν ἐξουσίαν, ἐπὶ τῆ πάσης μὲν ὑβρεως ἐργεῖται: Atque si alicujus potentia videatur dissolvenda, erit hoc sensim ac paulatim faciendum, nec universa simul auferenda. Præterea abstinendum omni contumelia.* Idem non minùs prudenter suadet, debere regem, *τὰ θεῶν τὸν θεὸν φαίνεσαι αἰὶ παρὰ ζῶντα ἀσχερόντως: videri semper ea maxime curare quæ ad Deos pertinent.* His itaque rebus quum tandem nunquam auditum hæctenus fulmen Pontificium ex Italia, animos novarum rerum cupidos pariter & perquam superstitiosos accenderet, fieri aliter non potuit, quàm ut regiæ majestatis quod supererat magnâ prorsus parte interiret. Et interiit certe, quando Principatibus aliis jam ante fere factis hereditariis, Episcopatum etiam atque Abbatiarum collationes quas appellant regio arbitratui sunt e-

rep-

reptæ. Benè enim Onuphrius Panvinius in vita Gregorii VII scribit, eo ipso *majestatem & dignitatem Imperii Romani everfam; dimidium Imperii ab Imperatore sublatum; imo ea fundamentò jacta, quibus illius potestas omnino labefactaretur.* Ita sc. sese res habet: tantum quis valet quantum aut pœnis aut largitionibus valet: metu autem sublato & si nec quod à te sperent superfit, simul & auctoritas omnis concidat necessum est. Neque vero post multum est Imperatoribus relictum quo animos malè subditos sibi conciliarent: itaque & paulatim magis magisque dignitas eorum immi-nuta, & regnum varias in partes vix leviter mutuò connexas discerptum est. Non enim eo ex tempore tam serio de reipubl. magno illo & integro corpore conservando fuit actum, quam quo unusquisque communi corpori sese subduceret, privatimque potentia aliqua parta regiam vim inter suos exerceret. Eo sane factum, ut procedente tempore nonnullæ Imperii veteres portiones in libertatem (ut quidem ipsis visum, cum tamen in majorem pleræque servitutem sint redactæ) se vindicaverint: nonnullæ opibus in aliorum formidinem creverint, redactis jam illis olim infinitis Comitibus ad paucos: quod ipsum quidnam minuetur haud latet peritos rerum. Certe eum in locum de-

niq; res venerunt, ut vix quidquam superfuerit amplius quo unitissima ante Regni membra ad communia consilia continerentur, præter Turcicæ potentia & proscriptionis metum: donec Friderico III & Maximiliano I Cæsaribus de arctius conjungendis Germaniæ Ordinibus magis sedulò cœpit actitari. Et sanè eo consilio in Circulos, quos vocant, Germania divisa est. Nec illud non merito laudaveris: si non & illa divisio unitati reipublicæ nonnihil fortassis impedimento sit. Adeo sane noxia civitati omnis distinctio est, ut vel locorum aliqua varietas atque intercapedo seditioibus sufficiat alendis. quod prudentibus notatum. Faterdum tamen omnino est, post deminutam regiam auctoritatem, huc illuc dilabentibus Imperii membris, non melius remedium aliquot fuisse sæculis adhibitum. Certè abs illo si fuisset, jamdudum Germania in partes dissoluta inque se mutuò ruens interiisset. Taceo & paci publicæ eo consultum esse, & legum auctoritati; quæ sine cogendi facultate ludibrium justitiæ sunt. Nonnullis utiq; leviter mutatis & paucis additis, si non ad proferendos limites aut recuperanda amissa, ad defendenda tamen quæ supererant, imprimis ad libertatem Ordinum conservandum, illis institutis sufficere sibi Germania potuit.

Sed

Sed vix cœperat illa constitutio, quum exorto religionis diffidio, ita statim Principum populorumque animi sunt distracti quàm antehac nunquam; enatisque religionis aut causa aut prætextu variis factionibus, effectum est, ut optimo instituto, quove uno pene Germania stabat, suus fructus idem talem hæctenus defuerit, donec hoc civile bellum, omnium queis Germania unquam laboravit funestissimum & mole maximum, illam pariter & bonas leges cæteras sustulit ac conculcavit. In eas sc. angustias conjecta est hodie discordiis nostris, Illustrissime Princeps, Germania, ut antegressa mala ludum jocumque præ hisce merito dixeris. Nocuerunt enim plurimum quidem istæ post HENRICUM IV regem innumeræ pene factiones, effeceruntque ut, sublato nostri metu, vicini populi primò Imperium detrectari, mox & partem Germaniæ decerpî, impune posse didicerint. Attamen & damni minus poterant dare, utpote initio ipsi quoque non multum validi, & minus etiam sunt ausi memoria antiqui roboris nostri adhuc durante, neque ita ut nunc singulorum attritis viribus, animisque omnium distractis in diversa. Neque verò aliam ob rem, quam propter intestinos majorum motus & Polonia & Italia paulatim imperium exiit Germanorum: neque alia fere de causa Transalpinas regni partes invadere Galli, Poloni, aliique sunt

sunt ausi: certe non alia occasione multi Imperio
 subditi Ordines propria sibi domi regna cœperunt
 condere. Hæc quippe omnia optimatum nostro-
 rum cum Cæsare HENRICO IV bella statim exce-
 pere. Quod quoniam de Polonia quidem, scriptor e-
 jus ætatis accuratissimus, Lambertus Aschafnabur-
 gensis, sapienter memoriæ tradidit, forte haud abs re
 fuerit illum heic audiri. *Dux Polonorum*, inquit ille
 ad annū MLXXVII, qui per multos jam annos regi-
 bus Teutonicis tributarius fuerat, cuiusq; regnum
 jam olim Teutonicorum virtute subactum atq; in
 provinciam redactum fuerat, repente in superbiam
 elatus, propterea quod Principes Teutonicos cerne-
 ret domesticis seditionibus occupatos nequaquam
 ad inferenda exteris gentibus arma vacare, regiam
 dignitatem regiumq; nomen sibi usurpavit, diade-
 ma imposuit, atq; ipso die natalis domini à XV E-
 piscopis in regem est consecratus. Quæ brevi post
 comperta, Principes Teutonicos, quibus reipubl.
 dignitas cura fuit, graviter affecere: sibiq; in vi-
 cem succensebant, quod dum intestinis in se atq; in
 sua viscera odiis sævirent & digladiarentur, po-
 tentiam opesq; barbarorum in tantum aluissent, ut
 jam tertio dux Boëmicus regnum Teutonicum fer-
 ro & igne populabundus peragrasset, & nunc dux
 Polonorum, in ignominiam regni Teutonici, contra
 leges ac jura majorum, regium nomen regiumq;
 diade

diadema impudens affectasset. Hæc ille; prolixius forte quam ut omnia ejus verba recitari à me debuissent: vere tamen. Quis profecto manifestum fit, tunc etiam temporis, omnibus in partes scissis, damnum civilis discordiæ serió nonnullos Procerum deplorassee. Et verò, redacta quidem post nonnihil in ordinem vicissim est Polonia, sopitis factionibus; iisdem tamen atrociter recrudescentibus, FRIDERICO II Cæsare potissimum, cumque illo concidentibus majori ex parte regiæ dignitatis reliquiis, illa ad ingenium reversa non tantum penitus Imperii sese legibus subduxit, sed & Jagellone rege in eandem rempublicam concedentibus Lithuanis, ita crevit, ut nec dubitaverit, præter Masoviam, Æstyorum gentes, Prussos inquam & Livonos, nobiles profectò Imperii Germanici portiones, sui juris efficere. Minor fuit Italiæ fortuna, & ipsâ quippe factionibus laborante; quantum tamen contra Germanos post funesta illa HENRICI cum Proceribus certamina fuerit ausa, quantumque extulerint nonnullæ Langobardici regni urbes caput suum, in quam potentiam Curia Romana Germanicis illis motibus surrexerit, quomodo deniq; novum ibi regnum conditum erepta Apuliæ provincia; nemo ignorat nisi rerum ejus temporis imperitus. Is verò ibi fuit exitus:

Ddd

xitus:

xitus: ut qui FRIDERICUM II sequuti sunt Cæsares, contenti fere jura sua antiqua per factiones Gibellicas conservare, præter Augustum Imperatorum nomen, umbram potius pristinae auctoritatis retinuerint in Italis quam vim certam imperii. Non alia autem occasione & Arelatense Regnum in Gallia potestatem pervenit. Interceptum enim initio illud esse Rudolpho Cæsare, summe debilitata post interregnum publica Imperatorum auctoritate, & componendis civilibus turbis occupato Rudolpho, memorant annales. Obtemperabant quidem etiam ante minus quam par erat regiones illæ. Sed & illud reipublicæ vitio fiebat, quum summi ante imperii jure Cæsares nostri post Conradum illis præfuissent. Quicquid sit; certe quod illius regni pleraque hodie Gallici juris habeantur, sive fiduciarium illud jus sit sive pleni domini, (neque enim id disputare nunc meum est) intestinis profecto dissidiis debet Germania; coactis tandem Cæsaribus quacumque beneficii specie donare quæ ipsis nolentibus tamen possiderentur. Jam Mediomatricum urbem, Tullum item ac Virodunum, quæ Galli ratione suæ ditionis fecerint, quum patrum memoria sit gestum, neminem potest latere: sicuti neque id temere quempiam fugit, quantum in Italiam aut Carolus VIII sit ausus aut post illum successores tentaverint.

Interim videlicet dum decrevit regia dignitas apud nos & respublica in partes minuta est, alibi contra plurimum crevere civitates, aut productis limitibus, ut apud Polonos, aut vi regnantium aucta, ut in Gallis. Nam Poloniae quidem regnum vastissimo hodie spacio à nobis in Pontum usque Euxinum, ab Ungaria item ad Suevicum seu Balticum mare extenditur; quum olim istis quos ante significavi terminis coarctaretur. Non multa etiam secula effluxere, quum regum auctoritas in Galliis pene precaria magis esset quam suae spontis: at postquam Ducatus Comitatusque, quorum & apud illos magnus olim numerus atque regibus aemula potentia erat, non ad optimates ut in Germania sed in regum devenere potestatem, simulque pulsas Anglis & emortua Burgundicâ domo, cesserunt formidabiles factiones; auctis opibus additum regibus robur maximum est; adeo ut jam seculo integro amplius, qui sua antehac aegre tuebantur, Europae universae fortunam non levi nunc ex parte moderentur. Eadem vero conditio est & reliquorum fere regnorum omnium. Ungarorum enim etsi multum sit labefactatum, tantumque non penitus excisum, in illum tamen locum accepimus longe potentissimam Othomannicam tyrannidem; adeoque nullo hodie latere magis

Ddd 2

me

metuere habemus nobis quam illo ipso, cervicibus Germaniæ imminente hoste non minus crudeli ac inhumano quam valido & feroci. Quæ item memoria (ut in Septemtionem me convertam) aut ipsa meminuit aut audivit ex majoribus, Suecorum auspiciis in mediâ Germaniâ gestum bellum, quæ nostræ ætas videt maximum? Quæ secula aliquamdiu tam compositam Danorum republ. memorant, quam est hodie? Quando omnis Britannia uni paruit? Ne dicam de Russorum imperio, quam illud vastum Tatarorum plurimis subactis cepit esse nuper primum. Jam Hispania quis ignorat, aut quo terrore totum terrarum orbem compleverit, vel quam recenter demum formidabilis illa esse cepit? Tangere enim isthæc nunc satis est; memorare fuerit inane ac superfluum.

Sed quum tanta sit omnium circumcirca regnorum potentia hodiè; quumque discordiæ civiles jamdudum damni tantum potuerint dare, validioribus adhuc rebus nostris, adversariorum autem minus valentibus; quum denique jam olim istæ despectabiles nos reddere potuerint, quæ tamen numquam in hunc modum exarserant: quid sperare hodie habemus, Sapientissime Princeps, quid habemus nobis polliceri? Neque verò inter potentes tuto quiescas. Ubi dominatus quæritur,

pax

pax & tranquillitas tua irritamentum est servitutis. At vero bellis intestinis implicata gens non nisi civilia cogitat, nil metuens nisi civile, de reliquo secura, quasi aut à nemine videretur aut medios inter amicos ageret. Idem tamen etiam id solet fieri, quod alibi ait Titus Livius: *ut pars quæ domestico certamine inferior est externo potius se applicet, quam civi cedat.* Sic odio præsentium videlicet agitantur sæpe partes, ut sperent salutem ab iis etiam quos suæ salutis insidiari, aut non ignorant, aut remota paululum affectus nebula ignorare non possent. Utinam verò non etiam nobis contingat quod verè olim de Romanis divinavit Crispus! *Ego sic existimo, dicebat ille ad Cæsarem, quoniam orta omnia intereunt, quæ tempestate urbi Romanæ fatum excidii adventarint, cives cum civibus manus conferturos. Ita defessos & exsanguis regi aut nationi præda futuros. Aliter, non orbis terrarum, nec cuncta gentes conglobata, movere aut contundere queant hoc imperium.* Ac certè non etiam nostrum hoc imperium vel uniti vicini populi omnes, vel remotiores quique lacefferent impune, si concordem ageremus, & idem volentes idem nolentes consuleremus in commune. Contra autem plane quum à nobis fiat, prohibeat saltim Deus id omen, transferatque in hostes malum illud, quod prudentia no-

bis metuendum indicat. Neq; tamen externis tantum patet ad ictum civitas suis diffidiis, sed & ipsis civibus, ipsis amicis ejusdemque sacramenti hominibus, maximè ubi veram atque sine exceptione victoriam aliqui expresserint. Habent quippe illi tum in manu rempubl. inq; arbitrio suo; quam ut velint in pristinum reducere statum, vix possint tamen præ acceptæ injuriæ memoria & metu vindictæ. *Omnia sc. (ut sapienter loquitur M. Tullius) sunt in bellis civilibus misera: sed nihil miserius quam ipsa victoria. Quæ etiamsi ad meliores venit, tamen eos ipsos ferociores impotentioresque reddit: ut etsi natura tales non sunt, necessitate esse cogantur. Multa enim victori eorum arbitrio per quos vicit facienda sunt.* Quotus verò quisque est, qui cum possit non etiam velit dominari hostibus devictis, aut rempubl. illo rursus loco cupiat esse, quo cum esset, ipse non poterat esse loco suo? Nimis dulce est regnare: nihil dulcius certe vulgò æstimatur, quam hostibus imperare. Sic sc. ferè res est: ut dominatus ex victoria civilis belli natus non tam vitio vertendus sit victori, quam illi qui belli auctor temere fuit: quum movere istiusmodi bellum malitiæ plerumque sit extremæ, dominatum armis partum nolle dimittere, communis hominum impotentia. Taceo nunc, quanto
sit

fit cum reipubl. periculo conjunctum, non tantum si alterutra pars plene vicerit, sed si vel leviter vicerit. Statim enim illa præponderat, trahitque reipubl. secum aliquam partem; quod profecto communi libertati per est inimicum. Ne illud quidem dicam: quod etsi æquis partibus finiatur contentio, maneat tamen *repostum alta mente* inflictum utrinque vulnus, haud rursus coeunte facile verâ amicitia ac firmâ societate; quâ sine tamen nulla civitas est salva.

Coeterum, quamobrem isthæc reipubl. nostræ mala nunc tango? aut quare pericula, in quæ bello civili hoc conjecti sumus, nunc clara quasi in luce propono, quum tamen reipubl. maximè interfit isthæc ignorari? Equidem fateor, *Illustrissime Princeps*, nihil magis in rem nostram posse fieri, quàm si mala nostra omnis vicinia nesciat: utpote cui per istorum conscientiam maximè vilescamus, adeoque dominatui externo (uti ità loquar) moveamus salivam. Sed quei ignorent, qui ungues in nostris ulceribus habent? Aut verò quomodo tegamus, quæ in orbis universi oculis ita hæctenus sunt gesta, ut & ipse in partes sit raptus, idque vel uti suffunderet pro frigida oleum, vel ne damni alieni communionem ipse afficeretur. Nectamen ego sine causa isthæc sum apud Te conquestus; sed cum
ne

ne nihil agerem in patriæ incendio, tum ut de optima notâ commendarem istam sapientiam cuius ego auctorem maximum nunc offero. Etsi enim nemo prudens, aliis satagentibus, cum Diogene dolium voverit, neque rempublicam attingam ego, illorum verò potissimum, quibus ejus curam aut nascendi lex aut sacramentum injunxit, in officio sit consulere in commune: silere tamen & quiescere in utramque aurem, si nihil aliud, saltim privata quæ ex publico proveniunt mala cottidiana, etiam me & mei ordinis homines non permittunt. Etenim nos quidem præda tantum victori sumus, utque pilas nos agunt excelsi illi terrarum Joves: conqueri tamen, nisi fallor, licet & nobis, quod in prædæ veniamus partem, aut durius allidamur solo; fortè verò & acclamare in periculum ruentibus illis magnis Diis, obligamur. Maxime tamen isthæc me loqui fecit eruditionis negocium, & cum primis civilis sapientiæ: utpote quam ex merito commendare philosophiam professi sit, commendare autem non liceat, nisi in scenam adductis reipubl. nostræ ingentibus malis, quæ ex ejus cum primis neglectu (nisi valde decipior) magnam partem hæctenus profluxere, nunc verò emendari nequeunt nisi ex illa ipsa remediis comparatis. Nimirum (ut bene Tullius loquitur) *ars vivendi est prudentia, ut medici-*

dicina valetudinis. Quemadmodum igitur artem suam laudaturi medici interest, haud nesciri vim morborum: ita profecto, quo pateat tandem aliquando hominibus nostris civilis prudentiae non utilitas dico sed plane necessitas, in rem est non tacere quae reipubl. maneant mala nisi provideatur. Satis enim, imo plus satis, luit haecenus Germania negligentius habitae prudentiae culpam: utinam solum tot moniti damnis rectius sapiamus in futurum! Initio enim regia, quae erat maxima auctoritas, & illam certe tempestate longe felicissime evenit patriae nostrae, haud aliam aequè re quam non observatis regnandi legibus quas civilis haec doctrina sciscit, concussa est: certe observatis illis staret & ista hodie inviolata, adorarentque etiamnum Germaniae vestigia qui nunc illius insultant cervicibus. Quae deinde causa alia armavit in Principes nonnullos populum subditum, quam eadem regnandi sive imperitia sive incuria? Imo verò quam alia re factum; ut post collapsam vim regiam, quum reipubl. quasi suapte sponte in *ἀριστοκρατίαν* iret, facile certe fuisset firmam aliquam ac solidam condere non minus quam Veneta est, in varias potius illa partes abierit & pro uno reipubl. corpore natae sint tantum non (si fas est dicere) scopae dissolutae? Enimvero si suus fuisset prudentiae apud nos civili

Ecc

lo-

locus non arma ista induisset Germania, quibus *nobilitas cum plebe perit* hodie, & omnis patria in cineres ac favillas dispergitur, triste servitium nescio cui tandem præbitura. Ut vero prudentia isthac neglecta in has præcipue ærumnas incidimus, ita profecto, si quæ adhuc spes fuerit salutis, ab eadem diligentius cultâ unice illa expectanda est. Et vero undenam collabascens aliqua respubl. præsentius capiat auxilium ac ruinæ suæ fulcimentum, quàm ex illa doctrina, quæ sola novit quid fugiendum publicè quid appetendum sit, quæ sola pericula damnaque expendit, quæ denique spe metuque utrinque libratis sola non ignorat medicinam malorum? Hæc est enim, *quæ* (quod ille ait) *præsentia ordinat, futura providet, præterita recordatur.* Neque enim est quur in his negotiis, aut Ammonem consulamus, aut petamus Delphos, aut inspiciamus exta, aut aves observemus, aut postremo Chaldæos nostros interrogemus; quod nunc etiam tot post interdicta divina humanaque multis cernimus esse familiare.

*Non enim sunt si aut arte divini aut scientia,
Sed superstitiosi vates, impudentesque harioli,
Qui sibi semitam non sapiunt alteri monstrant
viam.*

Solus in hisce prudens sapit. Soli illi datum immi-

n-

nentia non nescire. In quantum sane futurorum capax est humanum genus. Etenim

*multa tegit sacro involucro natura, nec ullis
fas est scire quidem mortalibus omnia.*

Et verò habet & heic locum illud ex arte medica: τῶν ὀξέων νοσημάτων ἔμπαν ἀσφαλές αἰ προσδιαγορεύσας ἕτε τε θανάτου ἕτε τῆς ὑγείης *in morbis acutis non in totum certa sunt prænunciationes neq; salutis, neq; mortis:* quippe quum in illis reipubl. conversionibus non tantum acutum aliquid sit verum etiam fatale; quod ut à solo Deo est ita solius Dei est scire. Quæcunque tamen humano in his sunt ingenio pervia, illa profecto non astra, non aves docebunt, sed prudentiæ oracula.

Corniger hæc nobis non altius inprimet Ammon. Ab illis etiam promptius remedia malis nostris impetrabimus, quam Græci olim Delphis. Hæc incorrupti consilarii, absque odio, absque timore & spe; ut quorum & causas sola habeant procul. Et verò in ea incidimus tempora, quando non amplius licet hæc negligere inconsulta. Ut enim impetrent veniam suæ negligentiae tempora antecessa, hæc certè nescio quæ inveniant. Scilicet ut secundo vento aut tranquillo cœlo, inque alto, longè à rupibus, sine periculo clavus navigii cuius etiam committitur; inter Syrtes vero aut depreliantibus Aquilonibus

bus ad solum tuto nauclerum recurrimus: sic quæta adhuc republ. fortassis licuerit non advocare semper prudentiam civilem in consilium, & potuerint illam non male moderari vel de trivio homunciones; at nunc quando summa imis vertuntur, quumque error quilibet habeat quid lethale, profecto moribus illis (nisi totus fallor) vivere & nefas magnum & summa dementia fuerit. ὡς τε γὰρ (ut sapientissimè loquitur Aristoteles noster) τὰ μὲν, σώματα ἢ ἀσθενήματα πρὸς ὑγίαιαν, καὶ πλοῖα τὰ πρὸς ναυπλίαν καλῶς ἔχοντα τοῖς πλωτῆρσιν, ἑπιδέχεται πλείους ἀμαρτίας, ὥστε μὴ φθίρεισθαι δι' αὐτὰς τὰ δὲ νοτῶς ἔχοντα τῶν σωμάτων, καὶ τὰ τῶν πλοίων ἐκλέλυμνα, καὶ πλωτῆραι τετυχότα φαύλων, ἔδὲ τὰς μικρὰς δύναται φέρειν ἀμαρτίας, οὕτω καὶ τῶν πολιτείων ἀνείχεται πλείους δέονται φυλακῆς, *ut corpora bene constituta & naves ad navigandum nautis benè instructæ plura peccata citra interitum recipiunt, morbosa vero corpora & naves fatiscentes malisque instructæ nautis, ne parva quidem incommoda queunt ferre: ita & pessima quæque res publ. plurimam desiderat & accuratam custodiam.*

QUOD si vero Prudentiæ illius consilia audire vel nolimus, vel non queamus, quid superest (absit vero æternum illud omen) quàm ut ferale illud clametur: *exequias rei publ. ac libertati Germanicæ quibus commodum ire: hem tempus est.* Neque enim cum vulgo speremus (quod ille ait) *nihil agentibus in sinum*

sinum de caelo devolaturam victoriam aut prosperam fortunam. Nolle sapere, hoc ipsum est Deum offendere: ut velle, ejus est legibus obsequi: certumque est divinæ indicium iræ caligo menti offusa. Quod non sacris tantum est literis traditum sed & notum gentilismo fuit, dicente Ammiano Marcellino: *manum injicientibus fatis hebetari sensus hominum & obtundi*. Quam in sententiam & de fato loquitur Vellejus Paterculus: *cujuscunque fortunam mutare constituit, consilia corrumpit*. Versus similis argumenti quos recitat Lycurgus sua contra Leocratem oratione, utut perelegantes, referre hic non attinet. Nec verò, etsi stulta etiam interdum emendet Deus, est quur perpetuum stultitiæ præsidium quis sibi polliceatur: rara quippe isthæc sunt nec trahenda in exemplum, certè non in spem secundorum eventuum. Orandum itaque est ut in sano corpore mens sana sit. Quin imò, haud multum absurde ille apud Crispum: *non votis neque suppliciis muliebribus auxilia deorum parantur; vigilando agendo prospere omnia cedunt*. Et certè placata numinis indignatione, quam innumeris hæctenus peccatis irritavimus, restituetur providendo ac laborando quasi postliminiò in integrum etiam res, (quantum spero) Germanorum, redibitque pristinum gentis decus,

ita libertate Ordinum temperato Principatu, ut neq; in hoc libidinem neque in illis licentiam habeamus metuere, sed sacra legum auctoritate cuncta in officio contineantur. Absit enim ut vel in tenui hac Germaniæ fortunâ desperemus omnia meliora, aut majorum gloriam extra oculos collocent Optimates. Etenim regnet modò in singulorum animis cura integri reipublicæ corporis, penitusque omnibus sit persuasum; Ducatus, Comitatus, Episcopatus, Abbatias, Urbes, populosque omnes Germanici Imperii id quod sunt vere esse, h. e. partes non nisi uno vinculo unoque spiritu salvas; & singulis licet invalidis, certe contra tam potentes undique vicinos minùs firmis, universos tamen atq; idem volentes idem nolentes, & suis defendendis & terrendis omnium hostium conatibus sufficere. Enimverò hoc animo atq; hac sententia obtinente, brevi efflorescent ipsi etiam cineres patriæ, stabitque æternùm Germania, firmiùs longè quàm Palladio suo Troja. Certe contraria opinio (quasi nimirum totius Corporis non sit habenda ratio, sed singulis suam rem agere fatis sit) Germaniæ evertendæ est nata, etsi olim damnosâ minus fuerit quàm sit nunc, præ vicinorum impotentia. Hæc vero sententia si omnium animis insideret, omnes etiam ad concordiam sese componerent mutuamque

que

quæ amicitiam : quæ res quantumvis parvæ in sui formidinem solent crescere.

ODIIS autem detumescantibus, remotaque affectuum nebula, fortè & religionis negotium sese mitiùs haberet ; quo tamen , (cujus certè obtentu) potissimum nunc respublica in partes scinditur, aliturque diffidium nostrum internecinum. Non enim est fortassis, quæ vel in tantis animorum fluctibus tranquillitatem omnem desperemus ; si procul gratia procul odio partium judicia collocentur, nec superstitio fascinet oculos intellectus. Nam quæ superstitioni non adscribamus Vatinianum illum inter nonnullos ob religionem animum, vincen-tem prope furores Judaicorum zelotarum ? Quem admodum enim his religio fuit,

vel monstrare vias eadem nisi sacra colenti,
vel beneficium accipere nisi à suis : ita videas & hodie in parte pietatis à nonnullis poni odium hostile in dissentientes, errorum verò nullam gratiam nec veniam ullam. Atq; illos quidem non rationali pietate, aut iusta Mosaicæ legis observantia istam inhumanitatem induisse, partim exemplo proprio nos docuit Salvator à Samaritide fæmina non recusans & petere aquam & accipere, partim & insigni parabola de Samaritani nonnemini beneficentia erga viatorem à latronibus prope enecatam. Sed &
nostram

nostram inclementiam quis ausit amplius in officio Christiani cultus numerare? posteaquam & in inimicos extendendam benignitatem, & fide infirmum assumendum non ad altercationes disputationum, ex lege Evangelica intellexerit. *Servum Domini non oportet pugnare, ait Paulus, sed placidum esse erga omnes, aptum ad docendum, tolerantem malos, cum lenitate erudientem eos qui contrario animo sunt affecti, si quando det eis Deus forte resipiscentiam ad agnitionem veritatis.* Ast si tam mitem sese gerere pastorem decet, quæi gregis fuerit latrare ac mordere? quæi pietas fuerit quod in episcopo est impium? Idem tamen Apostolus hæreticum post unam alteramque admonitionem jubet vitandum. Ita est, sed qualem? sane non alium quam eum quem quis noverit deploratæ salutis esse: inquit enim, *εἰδὼς ὅτι ἐξέστραπται ὁ τοιοῦτος, καὶ ἀμαρτανή ὡν αὐτοκαταλείτῃ.* Nec tamen, vel ejus hominis omne fortassis vitandum consortium fuerit, saltim non illud quod occasione queat obiicere corrigendi. Longè sane aliter & ipse Apostolus tractavit & tractare nos jussit eos, qui ab hæreticis decepti spem adhuc relinquant emendationis. Corinthij futuram corporum reviviscentiam negabant: Galatæ Mosis legem Fidei impio vinculo annectebant ut necessariam, in aliud plane *εὐαγγέλιον* traducti. Sed
cum

cum his agens Apostolus ipsa mansuetudo est. Monet, increpat, docet, ut fratres, ut sanctos Dei; nihil certe hîc videas durum aut inhumanum. Imo maximus magister ipse, eum qui ecclesiam recusat audire non alio quam publicani aut ethnici loco nobis vult esse; munera humanitatis non tollit, vel caritatis quem limitibus excludit; ut qui ipsemet cum publicanis & peccatoribus ederet biberitque, infirmorum sanitati consulens. Quin desinamus ergo tandem atrocium contentionum; ne utiq; odia nostra plusquam Cadmea sancto injunctæ pietatis titulo venditemus. Zelus iste zelus amarus est, & carens scientiâ: illâ saltem, *quæ primum quidem casta est, deinde pacifica, equa, obsequens, plena misericordiæ & fructuum bonorum, absq; disceptatione & minime simulata. Veritatem sectemur, sed adulescamus prorsus cum charitate. Illa verò iram cohibet, benigna est, non agit perperam, non inflatur, non agit indecore, non quarit quæ sua sunt, non exacerbatur, non cogitat malum, omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet. Hac dulcorandus sane est zelus noster, ne mendaces simus contra veritatem. Moderatio nostra innotescat omnibus. Non equidem disputabo hîc, sitne partium aliqua hæreseos nomine infamanda, vel in quamnam earum meritò hoc congruat pro-*
Eff *brum;*

brum; id certum arbitror, verum hæreticum non tam errore quam errandi pertinaciâ censendum esse, & posse interdum lethales sententias non pessimis ingeniis innasce, adeoque cum hæretica opinione nonnunquam catholicum animum consistere; planè ut agere iniquum quid etiam minimè iniquus potest. Quid nos movet verò, quur pejus de nobis invicem suspicemur, quam de Arianis sanctissimus Massiliensium olim presbyter Salvianus? *Hæretici sunt, dicebat ille, sed non scientes: deniq; apud nos sunt hæretici, apud se non sunt: nam intantum se catholicos esse judicant, ut nos ipsos titulo hæretica pravitatis infament. Quod ergo illi nobis sunt & hoc nos illis.* Paulò post subjungens: *Errant ergo, sed bono animo errant, non odio sed affectu Dei; honorare se Dominum atque amare credentes. Quamvis non habeant rectam fidem, illi tamen hoc perfectam Dei estimant caritatem; & qualiter pro hoc ipso falsæ opinionis errore in die judicii puniendi sunt nemo potest scire nisi judex. Interim iccirco eis, ut reor, patientiam Deus commodat, quia videt eos et si non recte credere affectu tamen piæ opinionis errare.* Quid est, dico, quur alteri alteris pejus audiamus? quur errorum detestatio durio rem de moribus nostris sententiam statuit? Sit tamen ita. Sit alterutra pars Arianis longe deterior, neutra tamen, quantum spero, superat Manichæorum blas-

blasphemam impietatem. Manichæi verò erant, quos vir sanctitate atque doctrina ad miraculum maximus Augustinus, in hæc est verba alloquutus. *Illi sæviant in vos qui nesciunt quo cum labore verum inveniatur, & quam difficile caveantur errores. Illi in vos sæviant, qui nesciunt, quam rarum & arduum sit carnalia phantasmata pia mentis serenitate superare. Illi in vos sæviant, qui nesciunt, quanta difficultate sanetur oculus interioris hominis, ut possint intueri solem suum. Illi in vos sæviant, qui nesciunt quibus gemitibus & suspiriis fiat, ut ex quantulacumque parte possit intelligi Deus. Postremo illi in vos sæviant, qui nullo tali errore decepti sunt, quali vos deceptos vident. Ego autem sævire in vos omnino non possum, quos, sicut me ipsum illo tempore, ita nunc debeo sustinere; & tanta patientia vobiscum agere, quanta mecum egerunt proximi mei, cum in vestro dogmate rabiosus & cæcus errarem.* Magna scilicet vis est in utramque partem opinionis inolitæ, quæque ceu cum materno lacte immulsa est, si accedat cum primis sectæ studium, morbus, Galeno etiam meo iudice, quavis scabie insanabilior, quo qui tenentur, si eidem credimus, cæci atque furdi reddi consuevere. Origenis dictum est: *εὐχερέστερον γὰρ ἀνθρώπων τὰς ἀπὸ ἀλλὰ συνηθείας, καὶ δυσταποσπάστως αὐτῶν ἔχει, καταλείψαι ἢ τὰς ἀπὸ τοῦ δόγματός.*

μαλα. Facilius quis alia sibi consueta exuat, quantumvis illis affixus sit, quam ea quæ dogmatum sunt. Quæ superbia itaque fuerit, & fragilis nostræ mortalitatis dedignatio, tam atrociter animadvertere in ingenii culpam, & humanitatis oblivisci in peccato humanæ imbecillitatis? Non ego pravæ pervicaciæ sum patronus, nec veniam peto vere hæretico homini, h. e. quem arrogantia aut nominis amor sectam facit condere aut fovere, quiq; factionibus turbat publicam Ecclesiæ tranquillitatem. Nihil enim tam asperum excogitari posse existimo quo non ille asperius mereatur. Ne sceleris quidem purum omnino dixerim, qui illi aures præbens in sectæ communionem prolabitur. Tantum ita animadverti in deceptos optaverim, ne non tam interitum illorum curare quam salutem videamur quæsisse. Et in hos ergo animadvertatur sed sine sævitia: & hi increpentur sed cum lenitate: moneantur sed fraterne; denique ita tractentur ut & ipsi intelligant nihil in sese nos habere odio præter hæreticam sententiam, qua nihilominus causa maxime nos doleamus illorum vicem.

SED quo prolabor? Ego vero nihil aliud volo, Illustrissime Princeps, quam periculis in quibus patria versatur præsentissimis, omnes omnino quotquot sumus serio admoneri, ut animi divulsi & facti-

eti-

ctionibus distracti omnibus modis reducantur ad concordiam & commune reipubl. studium: nihil verò esse, ne religionis quidem queis laboramus controversias, quur saltim à curis concordiaë & pacis civilis cogitationes nostras segregemus: quod enim hinc hostilia inter cives odia exerceantur, non tam pietatis lege fieri quàm inani quadam superstitione. Atque me quidem haud latet, quantum ab hac mansuetudine absint multorum mores; scio etiam id esse partium ingenium, ut altera indigne ferat vel metuat alterius benignitatem; quia tamen & inimicis benefaciendum est, nihil dubito nolentibus & invitis & repugnantibus quoque modestiam, lenitatem, caritatemque, tam severe nobis mandatam, quasi obtrudendam esse. Certe hanc viam primæ & incorruptæ Ecclesiæ prudentiores ac meliores quique Patres contra segreges & errantes insistendam sibi censuerunt. Quale enim hominum genus erant Donatistæ? Arrogans, impium, hæreticum, in circumcellionibus suis etiam sævum ac crudele. Hi verò ipsi erant, quos cum *fratrum* titulo fuisset dignatus, in hæc nectare quovis dulciora verba prorupit vir sanctitate eximius Optatus Milevitanus. *Ne quis dicat me inconsiderate eos FRATRES appellare, qui tales sunt, quamvis & illi negent, & omnibus notum sit quod nos odio habeant,*

E ff 3

& no-

Et nolint se dici fratres nostros. Nostamen recedere
 à timore dei non possumus, quos hortatur Spiritus S.
 per Esaiam prophetam dicens: Vos qui timetis no-
 men Domini audite nomen Domini: si qui nos odio
 habent Et execrantur, Et nolunt se dici fratres no-
 stros, vos tamen dicite iis, fratres nostri estis. Etate
 huic suppat Gregorius Nazianzi antistes longe
 piissimus dicebat: *εἰπωμεν ἀδελφοὶ καὶ τοῖς μισοῦσιν ἡμᾶς ἀν-
 αἰετὸν δεχόνται.* Ante utrumque scripserat B. Cyprianus,
 optare se Et consulere pariter ac suadere, ut, si fieri
 potest, nemo de fratribus pereat, Et consentientis
 populi corpus unum gremio suo mater gaudens in-
 cludat: à fraternitatis vinculo ne erroribus infectos
 quidem excludens. Isthoc autem si fuerimus ani-
 mo (possumus autem & debemus esse) non con-
 cutietur republ. enatis de religione disputationi-
 bus nostris, certè non ita ut nunc dissipabitur: imo
 fiet, ut affectuum purus mentis oculus clare perspi-
 ciat caligantem nunc vitio nostro veritatis solem,
 utque omnes id amplectentes quod verè *καθολικὸν*
 est, h.e. quod ubique quod semper quod ab omni-
 bus est creditum, sopitis diffidiis *impacti simus e-
 adem mente, Et eadem sententia.* Veritatem
 cernere non potest oculus odii spisso glauco-
 mate suffusus, utut illa clara sit & solem ipsum ge-
 stes manibus. Optimus demum magister lenis
 ora-

oratio est: irrepit quippe in animum latenter suâ dulcedine, intimas mox ejus fibras expurgatura. Hieronymi aurea sententia est: *Qui modeste alloquitur proximum gratum accipit responsum, & quasi de uberibus in quibus lac quærebat butyrum exprimit: sed qui inepto verbo rixam & discordiam ex fraterno corde provocat, quasi necessaria ultra modum emungens, sanguinem elicit.* Et verò, ne desit exemplum, tali plane orationis genere, Arianos, Apollinaristas, Macedonianos, Sabellianos atque id genus alia hæreticorum portenta, vicisse sese & Ecclesiæ Catholicæ corpori rursus felicissime sociasse, ipsemet testis est ille quem à sanctitate paulo ante commendabamus, commendari autem nunquam satis poterit, Nazianzenus Gregorius. Quidni verò audiamus ipsum loquentem, seu canentem potius, lenis sermonis ingentem istam victoriam? Igitur quum varia sectarum monstra enumerasset, addidissetque neminem adeo fuisse immobilem quin à sese flexus sit; subjungit statim aurea illa à doctissimo abbate Jacobo Billio non minus eleganter de Græco versa:

Hos pertraherat dogmatum ingens firmitas:

Flectebat illos ratio docendi mea.

Nec enim per odium, perque contumeliam,

Studio at juvandi, verba promebam, dolens,

Non

*Non vulnus infigens: nec, ut quidam solent,
Animos in altum, prosperum ob tempus, ferens,
(Commune sceptris nam quid est, Verbo & Dei?)
Audaciaque inscitiam velans meam.*

*Hoc quippe scitum est, sepius ac proprium,
Nigrantem ab imo vomere succum pectore,
Ut tela fugias hostis in tenebris tui.*

*Sed voce blanda commodaque utens, decet
Christi ut patronum, mente qui placidissimus
Miseratur egros, neminem & durus ferit.*

*Ex quo fit illud, cedere ut laudem ferat,
Rursumque multò pulchrius sit vincere,*

SULASU Tonanti quispiam dum acquiritur.

Quid vero, si & nostro tempore isthuc succederet?
Quid, si & in nobis dulcis sermo istum fructum pariat?
Ne videlicet amplius & in nobis sit Roboam & Jeroboam,
Juda & Israel, Hierosolyma & Samaria;
sed intergerino pariete confracto, qvi unius sanguinis
uniusque sumus reipubl. etiam unius simus Christi,
coalescentibus vulneribus quæ ejus corpori
diffidia nostra inflixerunt, & reparatâ ejus tunicâ
quam militaris furor olim scindere erubuit quidem,
nos autem innumeras in partes divisimus. Faxit sane
id ille qui & ipsemet caritas ac pax nuncupari voluit,
caritatem item ac pacem symbolum suorum jussit esse!

Sed

Sed non est hujus loci de remediis diffidentis Ecclesiae ejusque pace differere; etsi illa nihil publice privatimque possit esse conducibilius atque ad rempubl. erigendam magis necessarium: quippe quum anima quasi reipublicae sit Ecclesia, adeoque non minus vere dici possit, rempubl. in Ecclesia esse quam vere id olim alio sensu negavit Optatus Milavianus. Quod si vero tam felix fortuna hoc infesto virtuti & paci seculo non sit speranda terrarum orbi, aut nostrae Germaniae peccata non ferant statum adeo beatum; utinam saltem fiat prius, ut si non amemus nos prout par erat, saltem minus nos invicem habeamus odio! Certe & sic erimus felices satis, atque etsi non optime & ex voto, tamen sic satis bene componi iterum tot modis nunc divulsa respublica poterit; nemo profecto non deinceps execrabitur civilium bellorum faces etiam antequam ardeant.

VERUM frustra etiam de ordinanda republica quidquam salutare speres, quamdiu bello ad hunc modum ardet Germania, simulque domi ac foris hostis ex hoste nascitur. Quid enim inter meram vim & scelera, quae dudum leges omnes suam in potestatem traduxerunt, & jam fundamenta reipublicae subruunt, cogitemus legum robur atque auctoritatem? Scilicet inter arma etiam alias iustitia pro-

Ggg

labi-

labitur, neq; nuper primùm militia nostra cœpit
 corrumpi; inter civilia autem arma, qualia hæc-
 tenus magnam partem fuere nostra, etiam moritur-
 jus, militarem item *disciplinam* (ut ille ait) *in pace*
inexorabilem discordia civium resolvunt, paratis
utringq; corruptoribus & perfidia impunita. Eò
 autem usq; illa redacta est, ut quæ flagrante ulte-
 rius bello supersit spes emendandi vix appareat, in
 omne fas ac nefas venalibus urbium nostrarum pur-
 gamentis. Igitur nihil etiam est quod vel dicamus
 de illo meliore statu quidquam, nisi pace ante fa-
 cta caveatur ut ne ille nullus sit; penitusq; sit per-
 ivasum animis illud Homeri:

Ἀφρήτωρ, ἀγέμιτ' ἄνδρ' ἀνέσιός' ἔστιν ἔχειν.

Ὅς πόλεμος ἔρεται ἐπιδημίας ὀκρύνουσι.

Absq; cognatis, injustus, & sine domo vagus
ille est,

Qui delectatur bello civili difficili.

Tunc verò demum suus cum fructu legibus & o-
 ptimis consiliis erit locus: tunc ordinari rectiùs
 respublica poterit; deniq; tunc & vulnera quibus
 hæcenus laboravimus poterunt sanari, & ferale
 illud Ecclesiæ bellum, quo inprimis Dei indigna-
 tionem provocamus, sopiri forte poterit fraternâ
 caritate. Cæterum isthæc ut effici aut possint aut
 debeant, & arrogans sim si me scire profitear, & si
 dice-

IN POLITICA ARISTOTELIS

dicerem non sim ferendus. Neque verò opus etiam est ut præter ea quæ priscis seculis in hujusmodi malis sunt adhibita, novum aliquod nunc excogitemus. Eadem quippe semper fabula agitur humanarum rerum, tantum mutantur personæ: quæq; nunc nos, civitates semper multas afflixerunt, quarum aliæ ad optima consilia, aliæ ad interitum iis sunt redactæ. Spero autem nobis usu eventurum, id quod arboribus qui cuneis divelluntur. Scilicet ut illæ excussis cuneis magno impetu unoq; momento ad sese redeunt, ita ad concordiam atq; unitatem redituros nos omnes, ubi rejecti fuerint qui nos ad libidinem suam distrahunt.



Ggg 2

INDEX